

resparistis. Quo vero ista terminans? Propterea (ait post pauca) dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino: et descendant fortis, et populus ejus, et sublimes gloriisque ejus ad eum. Triduo durant bacchanalia, et mox desinunt in tristem quadragesimam quadraginta dierum: mundi gaudia brevissima in aeternam desolationem et luctum. Quod vix ullum gaudium apud hominem sincerum perseverat tres dies? Aiunt Graecos mortuis juxta ter persolvere: (in Crusii Turcogræcia) die tertia, nona, quadragesima. *Tertia quod mortuus die tertia immutatus, agnitione faciei amissa: nona, quod nono die totum corpus diffudit præter cor: quadragesima, quod quadragesimo die ipsum cor quoque perit.* Ita gaudia humana vana et secularia durant quasi ad unum triduum, et habent triples exequias. Tertio die statim vultum mutant et saturant; nono in nauseam et molestiam vertuntur; quadragesimo cor, hoc est, amor etiam illorum perit et in luctum desinit. Quis tam inconsistans et fugacia gaudia querat? Maximam Jobo afflictionem ferebat nuntius ille, quoties reversus nuntiabat ei cladem aliquam acceptam, asserens omnia periisse, boves et asinos, oves, camelos, liberos denique, se solum aiebat evasisse, Job. I. Quis vero iste, qui evasit solus, nisi funesta recordatio præteriorum gaudiorum? Omnia enim pereunt, sola habitorum bonorum memoria remanet, quæ spoliato jam possessori triste nuntium affert, omnia extincta esse, citharam in luctum versam esse. Hoc tam triste nuntium et funestum lucrum attulit ille nuntius Henrico VIII. Anglia regi pessimo et schismatico, postquam suam libidinem et furorem in Ecclesiam explevit, quando jam in extremis constitutis et desperata vita ac salute, pateram vini accipiens præbabit suis proceribus dicens: *Amici omnia perdidimus.* Ut refert Florim. L. VI. haeres. Omnia enim perdiderat, Ecclesiæ communionem, uxores, liberos, honorem et famam, opes et ærarium, regnum, vitam, gratiam, gloriam. O lusorem infelicem! Et funestum lucrum! Quanto melius sapient, qui infasto hoc ludo abstinent, et in sinu gratiae divinæ quiescentes, serviant Deo! Ergo ne et nobis aliquando hoc contingat, ut dicere cogamus: *Omnia perdidimus, abstineamus, queso, a periculo ludo,* quem hoc tempore ludunt, qui Christo illidunt: ne alioquin illudam in judicii die coram toto mundo.

CONCIO II.

MUNDUS PIETATI PER HOS DIES OBSTREPENS, NON AUDIENDUS.

Non audiendi, qui nunc obstrepunt pietati. — I. Quia fere sunt sex populi. — II. Quia Christo tergum vertunt. — III. Quia in Jericho, ad stultitiae lunam eunt, et vocant. — IV. Quia conantur nos abstrahere a lumine glorie.

THEMA.

Qui præbant, increpabant eum, ut taceret.

Luc. XVIII.

Notum est litteratis, quod poetæ scribunt aut fingunt, de Ulyssede, prætervectum aliquando Sirenum insulam, ne illarum cantu cum sociis illectus et attractus periret, excogitasse hoc stratagema, ut sociorum aures cera obturaret, is vero ab eis ad malum navis erectus alligatur. Periculoso tempus est hoc triduum, quo pessimæ Sirenes suavi suo cantu homines illicere et decipere, adeoque in abyssum mergere laborant. Quare auditores nobis attendendum, et aures obturandæ sunt: quod doceatur in hodierno evangelio vel ab homine cæco, qui cum audisset Jesum pertransire, clamans invocare coepit; cumque Sirenes aliqua ipsi obstrepent, ut taceret, ipse obturatis suis auribus multo fortius clamavit. Quid aliud nunc mundus agit, quam quod iis organuit, qui hoc tempore Deo vacare, et animæ suæ salutem querere desiderant? Itaque his Sirenibus aures occulendæ sunt; sed qua cera? Docebit nos hodiernum evangelium, ut videbimus.

Quatuor causas considerare possumus, ob quas jure merito cæcus neglexit ac sprevit objurgatores suos.

I. Quia non Christus, nec discipuli ejus, nec honestiores viri, sed turba tantum erat, quæ increpabat cæcum, teste Matth. c. XX. *Turba autem increpabat eos; cæcos videlicet (duos enim ille ponit).* Si interrogemus, quinam per has dies obstrepant pietati, per insanias suas deprehendimus non esse nisi turbam et vilissimos de plebe homunciones, neminem honestum. At quis nescit turbam seu plebem plerumque delirare, raro bene consulere? Antiquum Pythagoræ pronuntiatum est: *Per viam publicam non eundum.* Dei quoque mandatum erat Exod. XXIII. *Non sequaris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ.* Quid enim turbani errare et delirare novit? Nonne ea, quæ plures eunt, via lata est, quæ dicit ad perditionem? Neque refert, quod multi et plures forte sint, qui hoc tempore insaniant; quis enim tam

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

667

stultus esse volet, uti Radbodus ille Frisonum dux? Hic jam alterum in baptismatis fonte pedem habens, interrogansque episcopum Sanctum Wulfranum, ubinam majorem suorum antecessorum numerum, in paradyso, an in inferno esse putaret: illoque respondente, in inferno, quod fide caruissent, pedem retraxit, dicens, eo se proficisci velle, ubi sui majores essent, malleque eos, qui plures essent, quam pauciores sequi. Ludificatus autem a dæmone illusoria visione, post triduum subita et aeterna morte periret, Sigebertus in chron. Bergomensi, anno 729. Stulto huic simillimi sunt, qui in rebus malis turbam sequuntur et multitudinem. Sapientes contra, qui legem Dei et paucos in ea ambulantes. Misit aliquando Achab rex eunuchum, servum suum, ad Michæam prophetam, consultum an pergere ad bellum deberet, III. Reg. XXII. eunuchum ergo ad Michæam: *Ecce sermones prophetarum (quadrungentorum, sed revera pseudoprophetarum vilissimorum) ore uno regi bona prædicant: sit ergo sermo tuus similis eorum, et loquere bona, quasi dicat: Loquere regi placentia.* Verum non attendit Michæas ad multitudinem prophetarum, sed: *Vidit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Dominus, hoc loquar.* Itaque infausta atque ingrata regi prædictum, quæ et evenerunt. Multi nonne eunuchi tales, qui turbam esse sequendam suadent, tametsi deviantem ac mentientem. Quid tu hoc tempore vis orare, confiteri, tristari, quo omnes alii bacchantur et laetantur? Sis ergo similis eorum, et insani cum insanis, lurcare cum lurconibus. At tu Christiane si sapi, sequere Deum, et quodecumque dixerit Dominus, hoc fac, quia regula nostrorum morum non est vulgi opinio, sed lex Dei. Unde Tertullianus, I. de veland. virgin. c. I. ait: *Dominus noster Jesus Christus veritatem se, non consuetudinem nominavit.* Mundus non erit judex noster, sed Christus. Turba illa quæ præbat, lumen dare cæco non poterat, unde nec audiri ab eo merebatur. Christus ei mederi poterat: Iujus igitur mandatum jure expectabat.

II. Quia præbant Christum, pone sequentem, adeoque ipsi Christum, minime auferebant. Secus fuisset, si, qui sequebantur Christum cæcum increpasse; hi enim quasi abstulissent ei Christum, et aditum ad eumdem interclusissent. Pari ratione, non est quod audiunt pii mundum his diebus insanientem, quia his non sequitur Christum, sed præit, tergumque ei vertit. Sic enim Ezech. VIII. monstravit Deus Ezechieli impias eo iudicio, quod dorsa haberent contra templum Domini et arcam. Qui vero tales sunt,

nequaquam audiendi, sed fugiendi et spernendi sunt; tametsi forte dignitate, nobilitate, opibus alios omnes præcedant, uti monet Eccles. c. XII. *Noli magnificare hominem peccatorem divitem.* Si enim Christi sectator non est, pauper et nullus est; quia coram Deo abjectus est. Nemo unquam magnificavit viperam aut scorpium, quia aureo vel crystallino sernio inclusus est? Sic neque improbi magnifici sunt, tametsi auro et honoribus inclusi coruscant. Cuncti servi regis Assueri adorabant Amanem, divinos ei honores impendendo, et quidem ex mandato regis: solus Mardochæus non adoravit, neque genua flexit, Esth. III. Non movit eum exemplum et increpatio aulicorum, nec mandatum regis, quia videt rem sacrilegam a sacrilego postulari, divinum scilicet honorem. Chaldaeus asserit Amanem habuisse in ueste sua depictas deorum inanum imagines, jure igitur a Deo despctum fuisse. Quid his diebus gerunt mundani, nisi stultissimorum et vanissimorum deorum imagines, Bacchi, Veneris, Martis? quis ergo illos non contemnat? Sequantur mundum, adorent mundum, qui de mundo sunt, qui mundo serviantur: at qui de mundo non sunt, sed Deum colunt, aversentur impios, nec curent increpantes se ac dicentes: Tu solus non adoras? Qui enim Deo serviunt, non ad initia, sed ad finem attendunt. Initium et decursus vitæ Amanis glorusus fuit, sed finis turpissimus, cum in altissimo patibulo suspensus, et quidem suggestione eorum, qui prius ipsum adoraverant. Quam putatis confusi postea fuerunt aulici, quando viderunt eum, quem numinis instar coluerunt, pendere in patibulo! Sic tandem confundentur omnes, qui mundum adorant et sequuntur. Venit aliquando Joram impius rex Israel, filius Achabi, cum Josaphato rege Juda ad prophetam Elisæum consilium petitus. Cum Elisæus contemptum: *Vade ad prophetas patris tui et matris tue,* hoc est, ad pseudoprophetas tuos, quos audis. Et mox: *Vivit Dominus: quod si non vultum Josaphat regis Juda erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissim,* IV. Reg. III. Ecce Elisæus regem impium nec aspectu vult dignari nec attendere. Et cur servi Dei curent vilissimos servos dæmonis?

III. Quia in Jericho ibant. Jericho lunam significat, quia illa civitas formam habebat lunæ, ut ait Corn. a Lap. Matth. XX. ¶ XIX. Luna autem ob suam mutabilitatem stultitiae typus est, teste Eccles. c. XXVII. *Stultus ut luna mutatur.* Nemo facile se pro stulto haberi et traduci patitur. Durum est studiosis, quando deponendis ut aiunt, cornibus per unam horam aut

CONCIO II. AUCTARII.

alteram intra privatos parietes vexantur, dedolantur, depalmantur, cornibus impositis fœdantur more stultorum. Quis ferat hoc ad longum tempus et in loco publico? At qui te invitant, ut per hos dies larvas induas: choreas, ludos, compotationes frequentes: quorsum te vocant, nisi ut cum ipsis stultus fias? Mire quidem splendet luna in plenilunio, et videtur esse quidam sol nocturnus. Verum quamdiu? Deficit quotidie magis et magis, die septimo dimidiatur, postea cornua induit, decimo quarto die omnino obscuratur. Sic habent mundi gaudia. Primo die splendid, secundo die saturant, tertio etiam fastidium pariunt, quarto die omnino cessant, et pariunt mœorem, postquam transierunt, denique cum illis et memoria eorum extinguitur. Sunt ergo Bacchanalia festum neomeniae quale celebrant Hebrei in singulis noviluniis: festum instabilitatis et stultitiae.

Deinde, scimus ex evangelio urbem Jericho non adiri sine periculo, siquidem is qui descendit de Jerusalem in Jericho, incidit in latrones; quia prope Jericho erat locus *infamis latrociniis, aspectu terribilis, et valde periculosus, quemque sine conductu nemo temere transeat*, inquit Adricomius, in descript. Benjam. Ad hujusmodi locum invitat et dicit mundus his diebus sectatores suos: ad latrocinia et latronum latibula, qui non corpora, sed animas despoltant, ac jugulant, postea relictis iis abeunt. Latrones dicuntur, quia latenter, vel quia a latere viatorem adoruntur. Solent enim se velut viæ comites viatoribus adjungere, et ubi in desertum locum venerint, eos invadere, spoliare et mactare. Tales sunt socii mali, qui prætextu amicitiae alii se associant, ut ad peccata eos impellant. Unde monet Sapiens, Prov. I. *Fili mi, si te laxaverint, peccatores, ne acquiescas eis, si dixerint: Veni nobiscum, insidiemur sanguini, etc. fili mi ne ambules cum eis: prohibe pedem tuum a semitis eorum. Pedem, inquit, non pedes, quasi dicat: Ne vel unum pedem eleves, ne vel unum passum ambules cum eis; quia alioquin pedem vix revocare poteris.* Quemadmodum enim lupi vestigia tam sunt pestilentia, ut etiam equo vel calcata torpore afferant, teste Plinio, lib. XXVIII. cap. X. ita vestigia improborum sociorum, vel parum tria potenter hominem enervant et ad interitum trahunt. Et sicut probrosum ac periculo plenum est, vel paululum agere cum latronibus: ita etiam cum sociis malis. Unde subdit Sapiens: *Pedes enim illorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem.*

Denique, Jericho civitas a Josue maledicta et anathemati fuit subjecta, ita ut igne comburi

debuerit cum omnibus, qua in ea erant; adeoque civitas illa facta est quasi caminus quidam ingens, Josue VI. Idem prorsus est terminus mundi amatorum; tartarus nimurum a Deo maledictus et igne accensus æterno: *Mittet Filius hominis angelos suos et colligent de regno ejus omnia scandala, et eos, qui faciunt iniquitatem, et mittent eos in caminum ignis*, Matth. XIII. Hic est terminus vitæ, quem terunt mundi asseclæ; qui tamen de hoo termino nihil audire volunt, sed in deliciis et vitiis degentes sperant et expectant beatum vitæ finem. Quis hoc capere potest? Ferunt quemdam sapientem nundinas lustrasse, in quibus asini vendebantur, quasi emendi asini gratia. Qui cum alios et alios adduci jussisset, omnes reprobavit, asserens non reperiri, qualem ipse cuperet asinum. Mirantur omnes, quod nullus ei placet in tanto asinorum numero. Nullus mihi placet, inquit ille, quia non habetis, qualem ego desidero. Et qualis tandem esse asinus debet, inquiunt illi, qui tibi placeat? Tum is: Asinum volo, qui caudam pavonis habeat, pulcherrimus speculis illustrem. Ad hoc ille effusissime ridere et irridere. Et quis tibi stulte, aiunt, talem asinum dabit, nisi forte pector aliquis? Tum ille: Me quidem vos rideatis: vos ipsi multo magis ridendi. Vultis enim vitam ducere sicut asini, brutam, lascivam, sordidam. que tamen habeat caudam pavonis, hoc est, finem et mortem beatam, sanctam, pulchram, angelicam: quod nihilo magis obtineri potest, quam asinus cum pavonis cauda: quin potius mittemini ad molam asinariam, in caminum ignis, in tenebras exteriores.

IV. Quia cæcum maximo bono, lumine scilicet oculorum suorum, quod sperabat, et jam quasi manibus apprehenderat, privare conabantur. Clamavit ergo quantum poterat miser, non curans objurgatores, quia ipse noverat miseriam cæcitatibus suis, quantumque bonum esset lumen oculorum. Quid querit mundus nisi ut amatores in tenebris et cæcitate constrictos teneat, et a lumine cælestis gloriæ abducat atque impedit? Quis ergo ipsum audiat? Nonne videmus canes venaticos, quando jam a longe conspectam feram insequuntur, nullis amplius clamoribus a cursu revocari posse, sed toto impetu in illam feri, quidquid venatores vociferentur? Audierat hic cæcus transire Salvatorem et medicum suum, et sperabat se per eum consecuturum esse lumen; quid mirum si coerceri a clamoribus non posset? Et tamen quid tandem est hoc lumen, quod cum muscis nobis commune est, respectu coelesti illius luminis, quo soli beati perfruuntur? Post illud nos jam currimus, id

DOMICA IN QUINQUAGESIMA.

jam per spem quasi præ manibus habemus: ¶ patiemur nos tam vanis et fluxis mundi illecebri retrahi ab illo? Puer quidam (ita scribit Elianus, l. V. var. hist. c. XVI.) auream laminam, quæ ex Diana corona deciderat, sustulit; inde non latuit. Judices igitur crepundia et talos, simulque laminam auream proposuerunt puer. At is spretis crepundiis iterum manum ad laminam auream convertit, unde velut sacilegus damnatus est, ut qui pretium auri bene intellexerit. Ecce puer spernit pueriles nugas, et particulam aureæ coronæ semel prehensam non vult deserere: ecce homo intelligens tam ve sanus erit, ut pro celestis gloriæ corona sibi proposita et destinata patiatur sibi obrudi puerilia mundanorum gaudia? Puer novit aurum preponere nugas, et nos nesciemus cœlum terræ anteferre? Puer quidem iste dente parvulus fuit, sed malitia magnus fuit, qui aurum concupivit: vos, auditores, ad altiore gradum ascendite, adeoque etiam aurum et quidquid mundus exhibet, quantumvis splendidum et delectabile, velut talos et crepundia spernите.

Ita enim monet apostolus, I. Cor. XIV. *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote.* Nolite magis incauti esse quam Ulysses fuit. Ille ne audiret Sirenes, sociorum obturavit aures, et ad malum se alligari jussit: num ad pejores longe Sirenes, quæ mergunt in abyssum, adnaviget Christianus? Nolite ad extremum magis esse cæci, quam qui in hoc evangelio vobis propinquat, non attendit ille ad obstreperos clamores, sed potius ad miseriam suam et Salvatorem Jesum, sic obtinuit lumen. Hoc idem et vos agite, et videbitis et gaudebit cor vestrum.

CONCIO III.

CÆCITAS MUNDI PER HOS DIES.

Mundus hoc tempore nescit se esse cæcum cum maxime sit. — I. Nesciunt se Christianos conformari gentilibus. — II. Nesciunt se inchoare tempus pententiae et passionis Domini. — III. Nesciunt se ligare Deum, presumendo de ejus bonitate. — IV. Nesciunt pericula hujus temporis.

THEMA.

Domine ut videam. Luc. XVIII.

Romanus ille Seneca, in epist. LI. scribit ad Lucilium: « Harpasten uxoris mee fatuam scis hereditarium onus in domo mea remansisse. Haec fatua subito desit videre. Incredibilem tibi narro rem, sed veram: nescit esse se cæcam:

subinde pædagogum suum rogat, ut migret: ait domum tenebrosam esse. Hoc quod in illa ridemus, omnibus nobis accidere liqueat tibi. Nemo se avarum esse intelligit, nemo cupidum. Cæci tamen ducem querunt: nos sine duce erramus, etc. » Ita Sapiens ille, apposite ad hæc nostra tempora, in quibus cæcorum hominum infinitus pene est numerus; qui tamen se cæcos esse nesciunt, ideo nec clamant cum hodierno cæco, ut illuminentur, sed potius pædagogos suos concionatores abire et facessere jubent, ut in sua cæcitate liberius errare et in præcipitia ire queant. Nostri tamen officii est, nequaquam tacere, sed potius exaltare vocem et multo fortius clamare contra cæcos istos, eorumque cæcitatem palpabilem demonstrare, quo hic faciemus.

Quis dubitat illum esse cæcum, qui non videt unde veniat, quo eat, quid faciat, ubi sit? Tales autem sunt Bacchanalistæ; non vident unde venniant: non vident quo eant: non vident quid agant: non vident ubi sint: nonne igitur cæci?

I. Nonne magna cæcitas est, quod Christiani post tot sœcula extinti gentilismi videntur adhuc imitari gentilium superstitiones et stultias? Nonne Christiani omnium gentium sapientissimi sunt, qui secundum rationem et legem divinam ambulare norint? Non auditus apost. ad Eph. V. *Videte fratres quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes?* Nonne passim ait nos esse filios lucis, non tenebrarum: proinde sicut in luce honeste debere ambulare? Nonne vult nos abstinere a gentilium communione et ritibus dicens: *Nolite jugum ducere cum infidelibus?* II. Cor. VI. At vero bacchanalia a gentilibus mutuata esse nimis clarum est, quorum tamen superstitiones ut extinguueret Christus, in hunc mundum venit. In veteri lege præcipit Deus, Exodi XXII. *Viri sancti eritis mihi. Carnem quæ a bestiis fuerit prægustata, non comedetis.* Numquid de hac carne cura erat Deo, et non potius de gentilium superstitionibus, a quibus nos fideles debeamus abhorrire, nihilque cum eis commune habere? Et quomodo viros sanctos nos sibi esse vult, per abstinentiam a talibus carnis, nisi quia mystico sensu vult nos vivere secundum rationem et legem divinam christianam: non secundum ritum gentilium, qui barbaris et ferinis vivebant moribus? Ideo a Paulo omnes Christiani vocantur sancti, quia ad sanctitatem vocati, Rom. XV. § VII. Jam vero qui insanunt hoc tempore, vino se ingurgitant, in stercore voluptatum voluntur, nonne barbaros et ethnicos imitantur; nonne escam malorum a gentilibus admorsam vorant? Gravissime punivit Deus, qui gentilium superstitionem imitati sunt, Judeos

quando vitulum aureum ad imitationem Apis Ægyptii erexerunt, ingentemque inter illos stragam edidit, clamante Moyse ex mandato Domini: *Occidat unusquisque fratrem et amicum et proximum suum*: cecideruntque viginti tres millia virorum. Et cur Romam Deus sub Christianis jam imperatore Honorio et Theodosio punivit incendio et gladio per Alarium, Gothum, et Arianum regem, nisi propter reliquias idolatriæ, quas ditiones toties moniti deserere noluerunt? Testabatur enim Alarius se stimulari a Deo ad puniendam Romam; certe propter illam causam; et quia non satis acriter punivit, ideo morte subita punitus est, Baron. an. 409.

II. Nonne magna cæcitas est, passionis Domini memoriam, tempus jejunii pœnitentiae inchoare a stultitia, gula, lascivia, scurrilibus nugamentis? Magdalena a lacrymis, dum alii pranderent, ad pedes Domini fusis suam inchoavit conversionem: Paulus a triduano jejuno, quando ductus Damascum, tribus ibi diebus non manducavit neque bibit, Actor. IX. Quo jure ergo Christiani a profana lætitia et triduana ingurgitatione suam inchoant pœnitentiam? S. Basilius, hom. lib. de jejunio ait: «Non est per temulentiam (bacchanalium scilicet) aditus ad jejunium, quemadmodum nec ad justitiam iter est per fraudationem, etc. Aliud ostium est ad jejunium. Ebrietas ad lasciviam inducit, ad jejunium frugalitas. Athleta ante certamen exercetur, jejunator ad jejunandum temperantia preparatur. Ne velut ulciscens jejunii dies, non veluti fucum facturus legis auctori, in hos quinque dies crapule thesaurum reponebit. Stulte siquidem facis, si corpus quidem conficiſtectam solatium esurioni admoves.» Christus passionem suam ab hymno post cœnam dicto, et longa conceione ad discipulos habita post a mœrore et tristitia incepit: nonne igitur deceat ut et nos Christiani, ejus commemorationem a simili ordiamur? Sane quando Christus ad passionem suam ascendens Jerosolymam, prædicta eam discipulis, sicut in hoc. evang. legimus: *Ecce ascendimus Jerosolymam, etc.* accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis petens eis primos honores in regno ejus ut Matth. XX. habetur. Sed quid responsi tulerunt? *Nescitis quid petatis.* Potestis bibere valicem quem ego bibiturus sum? q. d. ego de passione mea age et ad eam pergo, et vos de honoribus cogitatis? Cogitate potius an meum calicem bibere et mecum pati veritis. Quid si dixissent discipuli illi: Domine quia ad passionem et mortem pergis et nos cito desiris, simus prius læti, instituamus convivia, choreas, ludos, jocos antequam ab invicem dividamur, quid respondisset Dominus? Sed nimurum

mundus nihil horum intelligit, et est verbum hoc absconditum ab eo, nec intelligit, quod dicitur; quemadmodum et discipulis ait Lucas in hodierno evangelio.

III. Nonne magna cæcitas est, quæ hoc tempore multos occupat, liberalius per hos dies indulgere genio, et leges Dei violare, eo quod propinquum sit remissionis tempus, quo Deum sibi rursum conciliare et peccata omnia uno confessionis sibilo exsufflare queant? Quæ enim major esse cæcitas potest, quam velle Deum injuriis afficere propterea, quia nota sit tibi clementia ejus, a quo veniam non difficile possit impetrare? Nonne hoc pacto ligas Christum, ne possit manum tibi auxiliarem et medicam portigere? Nonne hoc ipso te indignum venia reddis cogisque offendit, ut jure suo tecum agat? Sed promisit Deus veniam se daturum pœnitentibus, ait. Stulte, hæc promissio ad eos spectat, qui ex aliqua infirmitate et insecitia canunt. De his autem, qui in Spiritum sanctum peccant, adeoque ex præsumptione misericordiæ cadunt, nonne audis, quod non remittentur eis peccata, neque in hoc, neque in altero sæculo, id est, rarissime et ægerrime? Nonne cæcus fuit Pharao quando post Hebreos ingressus est alveum maris rubri eum exercitu, sperans sibi muros illos aquos et que transitum datus, atque Judæis dederant? Quomodo enim ipse cum suis hoc tam grande et miraculosum beneficium, solis Dei servis concessum, expectare poterat a Deo, cuius capitalis hostis erat? Non stant muri aquæ impiis in præsidium, sed in retia, ut feris, ut capiantur et illaqueantur et cadant retrorsum; nec remissionis tempus promissum est præsumptuosis, sed ira et vindicta talibus debetur.

Fuit apud gentiles auct. Gellio, l. XX. c. V. homo improbus L. Neratius, qui pro delectamento habuit hominum liberorum ora palmis percutere. Et quia lex duodecim tabularum pro alapa numerari multam viginti quinque assium jubebat, servus eum sequebatur, crumenam plenam assibus gestans: et quemcumque depalmauerat, ei numerari statim, ex l. XII. tabul. XXV. asses jussit. Audita hac insolentia prætores legem hanc abolescere et relinqu censuerunt, injuriisque æsi mandis pro qualitate personarum et facti, recuperatores dederunt. Eadem nequitia utuntur illi, qui ex præsumptione peccant; quia enim paratum peccatis remedium confessionem norunt: liberrime delinquent, quasi una confessione, vel uno *Miserere omnia compensatur*. Sed falluntur miseri. Grave nimis est Deum percutere, præsertim ex nequitia: infinitæ dignitatis persona est. Non ergo concedet eis ordinarium

pœnitentia remedium, sea retrahet manum suam ut timendum.

IV. Nonne ingens cæcitas est ludere, ridere, jocari, pergræcari, convivari, stultescere imminente clade hostili? Sane L. Fulvium Argentarium senatus Rom. quod secundo bello Punico a fenestris per meridiem in forum roseoerto (quod lætitiae signum erat) coronatus spectasset, carceri per omne tempus ejus belli damnavit, ut intempestivum gaudium, quo laborante patria usus erat, carceris molestia corrigeretur, teste Plin. l. XXI. cap. III. Magna enim fuit cæcitas et temeritas Balthasaris regis Babylonis, qui dum Cyrus Persarum rex urbem obsidet et Euphraten in minimos alveos dividit, ipse domi sue convivium celebrat cum suis optimatibus bibens in poculis aureis et argenteis, et templo Jerosolymitanō ablatis: neque desistit etiam postquam vidit in parieti scripturam minitam sibi extermiū, quod eadem nocte illum opprescit. Id quod prævidens Isaias arguit et ridet eum, c. XXI. *Pone mensam, contemplare in speculo edentes et bibentes.* Sed mox adventum atque ingressum hostium ei denuntians subdit: *Surgite principes, arripi clypeum*, q. d. parare potius vos et concurre ad arma, quam ad convivia debebatis. Jam vero et nos quoque hostibus circumdamur, partim visibilibus, qui hoc tempore insaniunt, et scelerum suorum socios, undique ad se trahunt: partim invisibilibus, qui et ipsi his diebus circumeunt tamquam leones quærentes, quem devorent. Syri illi latrones ad preces Elisæi percussi cæcitate deducti sunt in medium terræ hostilis et forum urbis Samariæ. Tum orante Elisæo: *Domine aperi oculos istorum*; vident se in civitate hostili undique conclusos, proinde in præsenti vita discrimine, non sine ingenti metu constitutos, IV. Reg. VI. Cæci sunt bacchanalistæ; sed quod pessimum est, nesciunt se cæcos esse; tanto igitur magis deplorandi, quia in medio hostium tartareorum, qui eos variis laqueis constrictos tenent ac circumducunt de peccatis in peccata. Quoniam igitur ipsi non vident cæcitatem suam, ideoque nec grant pro seipsis; ut illuminentur, imo nolunt illuminari, Ecclesia autem videt; hinc pro ipsis clamat cum Elisæo: *Domine aperi oculos istorum.* Domine ut videant unde vident, et quam christiano nomini indecorum sit, gentilium stuitias imitari: ut videant, quo eant; ad passionem Christi scilicet rememorandam: ut videant, quid agant, peccando in præsumptionem misericordia divinae: ut videant, ubi sint, in hostium videlicet insidiis; ut sic tandem cum hodierno cæco oculos aperiant, et relicta mundi vanitatibus et cæcitatibus sequantur Christum et glorificant Deum.

I. In convivio Christi præcedit oratio. — II. In convivio Christi viget temperantia. — III. In convivio Christi viget modestia et timor Dei. — IV. In convivio Christi pia et honesta collegia fiunt. — V. In convivio Christi non diu sedetur.

THEMA.

Eoce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia. Luc. XVII.

Propheta Isaias inter alia, quæ exprobrat populo Hebreo, habet etiam hoc: *Vocabit Dominus Deus exercitum in die illa ad fletum et ad planctum, ad calvitium et ad cingulum sacci: et ecce gaudium et lætitia, occidere vitulos et jugulare arietes, comedere carnes et bibere vinum. Comedamus et bibamus, cras enim moriemur.* Videtur in his verbis prævidisse Isaias et notare voluisse Christianorum bacchanalia. Vocat enim Deus hoc tempore Christianos ad fletum, pœnitentiam et jejunium, ad memoriam passionis Christi: sed quid ipsi? Instituunt convivia, agunt bacchanalia: *Comedamus et bibamus. Quid igitur; conviviane abolenda sunt: sicut diximus de choreis et ludis vetitis?* Non hoc dico auditores, sed considerandum est duplicitia esse convivia; alia Christi, alia diaboli, ut S. Paulus docet, I. Cor. X. *Non potestis mensæ Christi participes esse et mensæ dæmoniorum.* Quemadmodum enim Christus in suo itinere ad passionem, de quo in hoc. evang. primo, cum honore et benevolentia exceptus est in Jericho a Zacheo, imo et aliis civibus, qui Zacheo tantum hospitem invidebant: deinde Jerosolymis, sed ab impiis cum ignominia, venditus, illitus, flagellatus, consputus, crucifixus: ita sunt convivia quædam honesta et pia, in quibus Christus bene et honorifice habetur: alia sunt impiæ, in quibus traditur, illuditur, flagellatur, consputur, crucifigitur. Hæc vitanda dico, illa vero minime. Qualia vero et illa et ista sint, videamus.

I. Convivium Christi est, ubi sit initium ab oratione et benedictione mensæ: finis gratiarum actione. Docuit hoc Christus, qui a benedictione, oculis ad cœlum levans convivium incepit, et hymno dicto finit. Idque juxta piam Judæorum consuetudinem, quæ colligitur ex I. Reg. IX. ubi dicitur non comesturus populus, donec veniat Samuel, qui prius benedicat hostiæ. Nunc etiam Judæi, ut ex eorum rituali libro constat, cibum et potum benedicunt; imo quoties aliquis novus cibus aut potus in mensam afferatur toties benedictio iteratur dicendo: *Benedictus sis Dominus Deus noster creator, qui bonus es et benefac omni-*